

Etius Apostolica confirmationis nostre patrocinio communiti summopere desiderant. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet immodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum preinsertum auctoritate Apostolica, tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio  
relii Decretum.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provincialium, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentium pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die IX. Octobris MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

\*  
Dat. 2. Dec.  
1706. An. 7.

XCV.

Indicatur Jubileum Universale pro pace inter Principes Christianos.

Simile Jubileum indictum fuit ab Inn. XII Constit. ed. 1695, Dec. 3, P. 5. Et hujus Pontificatus Constit. ed. 1715, Maji 31, P. 15 indicatur Jubileum contra Turcas.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christianis presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium  
a continuari  
Christianæ  
Reipublicæ  
salutari  
ob accerit  
inter Christianos  
nos Principes  
bellum.

EX eminenti Principis Apostolorum Sede, in qua per ineffabilem Divinæ suæ bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocare Nos voluit Altissimus, terrarum Orbem universonum, nostras videlicet curas, solioque circumspicientibus Nobis, miseris in dies, fem-

perque iustusior se offert Christianæ Reipublicæ facies. Cum gravissimo siquidem, ac vere lacrymabili totius pene Europæ incendio Christiani Principes inter se decertantes (quæ olim extrema minatus est Deus inimicis nostris, atque iis, qui insurgunt adversus Nos) diuturno nimium, & sane acerbissimo bello se invicem depascuntur, ac proprio sanguine, quasi musto, inebriantur. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Visitavit profecto Nos Dominus in gladio suo duro, & grandi, & foris, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam. Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exaruit. Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Sed numquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Abiit, Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas; sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate, effundet in Nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus cum offendimus nimis, humili confessione agnoscamus, dignosque poenitentia fructus faciamus. Adcaus itaque cum fiducia ad thronum gratiæ, ac ne exprobrari Nobis audiamus propheticum illud: Quæsi de eis virum, qui interponeret seipem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni; & effudi super eos indignationem meam, obsecrationibus, jejuniis, elemosynis, aliisque piis operibus Divinam iram, acceptabili hoc Dominici Adventus tempore, placare studeamus, Regique pacifico, qui proxime venturus est, ut pacem annuntiet hominibus bonæ voluntatis, in novitate vite ambulantes humiliter occurramus. Suppliciter ab eo petamus, ut flagella, quibus nos corripit ad emendationem, clementer a nobis avertat, & qui castigat nos propter scelera nostra, ipse salvet nos propter misericordiam suam; potissimum vero eum deprecemur, quatenus septimo, quem nunc Divina favente clementia, inimus, nostri Pontificatus anno faciat remissionem, ut vere sit Sabbatum terræ requiectionis Domini, sublatique dissidiis sedeat Christianus populus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in reque opulentiæ. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex præfata Romane Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostre commisit divina dignatio, aperire, & larga manu erogare decrevimus.

Exhortatio  
ad Fideles, ut  
divinam indignationis  
placare contendant.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis, & singulis utriusque sexus Christianis in alma Urbe nostra degentibus, qui solemnem processionem, quam feria quinta proxima hebdomadæ, quæ erit secunda Adventus, a Capella publica Palatii nostri Apostolici in Vaticano ad Basilicam Principis Apostolorum una cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Chri-

Indictio  
Jubilæi.

Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælati quoque, & Officialibus ejusdem Curie, universonque Clero, & Populo, benedicente Domino agemus, devote interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, ejusdem Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris Ecclesiæ, seu Basilicæ, vel earum aliquam. (reliqua vide.)  
Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Decembr. MDCCVI. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Dat. 2. Jan.  
1707. An. 7.

XCV.

Declaratur nullum Edictum Archiepiscopi Goan contra Jurisdictionem Commissarii, & Visitatoris Apost. in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis.

Declarata fuerunt nulla acta a Generali Inquirente aliisque contra Episcopum Carthaginensem. Constit. ed. 1706, Jan. 19, P. 6. Et Constit. ed. 1711, Mar. 15, P. 11. declarantur nulla acta ab Episcopo Macaoenensi adversus Commissarium Sinarum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Carolus Patriarcha Antiochen. electus fuit Commissarius, cuius censuras adversus nonnullos Religiosos promulgare, nulla declarare fuerit præd. Edicto ab Augustino Archiep. Goan.

Cum nos alias pro Commissio Nobis divinitus Apostolica servitutis munere, etiam ad remotissimas ab hac Sancta Sede Regiones Pastorales vigilantia nostra curam extendentes per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium, & Visitatorem in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis cum potestate, etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati, ac diversis, & amplissimis facultatibus constituerimus, & deputaverimus, & alias prout in prædictis nostris die 4. Julii 1702. expeditis literis; quarum tenorem presentibus pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Et (sicut nuper non sine gravi animi nostri dolore accepimus) postquam idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator in Diocesi Meliaporen. debita, ut par erat reverentia a venerabili pariter Fratre Gaspare Alphonso Episcopo Meliaporen. recognitus, & exceptus fuerat, ac iustis, & rationabilibus causis adductis censuras quasdam Ecclesiasticas in eadem Diocesi contra nonnullos Regulares promulgaverat, Edictum quoddam sub nomine venerabilis, etiam Fratris Augustini ab Annunciatione die 22. Decembris 1704. editum prodierit, & subinde in quibusdam Oppidorum, seu locorum Madraspatani, & Podiaherii Ecclesiis, & forsitan alibi publicatum fuerit, quo sub variis, frivolis, ac prorsus insubsistentibus prætextibus censura prædictæ ab eodem Carolo Thoma Patriarcha Commissario, & Visitatore, sicut præmittitur, promulgata, inaudito ausu, nulla declarantur, ipsique Regulares ad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem admittuntur, nec non omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam Laicis mandatur ne ipsi Carolo Thoma Patriarcha Commissario, & Visitatori obediant, aut dictas censuras reverentur, ac insuper ei-

Causa sequenti  
de declaratione.

Declaratio  
nullitatis Edi-  
cti, omnium-  
que actuum  
ab Archiep.  
Goan.

Clausula.

dem Carolo Thoma Patriarchæ Commissario, & Visitatori, inserto sane poenarum per Canonicas sanctiones irrogatarum usu sub excommunicationis poena inhietur, quo minus jurisdictionem suam libere exerceat aliisque temere præcipiuntur, atque ordinantur in gravissimum Apostolicæ auctoritatis, qua idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator nostro, & dictæ Sedis nomine in illis partibus fungitur contemptum, præjudicium, & detrimentum, & alias, prout in præfata Edicto, quod non approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo, presentibus itidem pro plene, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri. Hinc est, quod nos ex debito Sacrosancti Apostolatus officii, quod humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari commisit divina dignatio, ejusdem Caroli Thomæ Patriarchæ, Commissarii, & Visitatoris, seu potius nostram, & dictæ Sedis dignitatem, auctoritatem, & jurisdictionem a temerariis, & perniciosis hujusmodi conatibus illatas, factasque, & testas tueri, & conservare cupientes, ac omnium, quæ prædicti Edicti, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, & gesta sunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, ahavæ quæcumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia presentibus, pariter pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei negotiis prepositæ super rebus Indiarum Orientalium a Nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, prænarratum Edictum, & quæcumque in eo contenta cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsitan quodcumque secuturis penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, temeraria, attentata, & defacto præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuo fore tenore presentium declaramus; & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere decernimus, & pariter declaramus.

§.1. Decernentes etiam easdem presentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictus Augustinus Archiepiscopus, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, Ordinis, præminentia, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas presentes emanarint sufficienter adductæ, verificate, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, pretextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis lesio-



nis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostra, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, aut incogitato, & incogitabili indivi- duamque expressionem, requirentem defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in contro- versiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris facti, vel gratiae remedium intentari, vel impe- trari, aut impetrato, seu etiam, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & effica- ces existere, & fore, suosque plenarios, & inte- gros effectus sortiri, & obtinere; ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussis obser- vari.

§.2. Sicque, & non aliter in praemissis per quocumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis praedictae Nuncios, aliove quolibet quacumque praesentia, & potestate fun- gentes, & functuros, sublata eis, & eorum cui- libet quavis aliter iudicandi, & interpretandi fa- cultate, & auctoritate iudicari, & definiti de- bere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno- ranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus praemissis ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apo- stolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Metropolitanae Ecclesiae Goan, & aliis quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apo- stolica, vel quavis firmitate alia roboratis Sta- tutis, & Consuetudinibus, ac usibus, & styli- bus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Interis Apostolicis quibusvis personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet quali- ficatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibus- vis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausu- lis irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantumcumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti deroga- tione de illis, eorumque totis tenoribus specia- lis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas gene- rales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita for- ma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimeren- tur, & infererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & ex- presse derogamus, ceterisque contrariis quibus- cumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscri- ptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra habeatur, quae ipsi praesentibus haberetur, si forent exhi- bitae, vel ostense.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die Januarii MDCCVII. Pon- tificatus nostri Anno Septimo.

XCVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc., & Regular. de forma eligendi Generalem infra Triennium in Congregatione Monachorum Montis Oliveti.

De electione Abbatum Titularium extat Clem. X Const. ed. 1671, Feb. 27, P. 1. Et ejus derogatio in parte hujus Pontificis Const. ed. 1713, Apr. 12 P. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias pro parte dilecti filii Abbatis Roselii Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedi- cti Congregationi Venerabilium Fratrum no- strorum S. R. E. Cardinalium negotii, & Con- sultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita exposito, quod jamdudum in dicta Congregatione Montis Oliveti ad evitandas expensas, quae in celebratione Capituli Generalis Congregationis huiusmodi fieri solebant, dum infra- triennium Abbatis Generalis Congregationis praefatae Officium vacare continebat, certus numerus vocalium, qui electioni huiusmodi interesse debebat, praefixus (namquam tamen ab eadem Congregatione Cardinalium confir- matus) fuerat, quemadmodum pro deroga- tione novissimae Constitutionis ea super re emanata §. Si autem infra triennium ob- mitem &c. expresse requirebatur, imo ab ultimo Capitulo Generali dictae Congregationis Montis Oliveti re melius discussa, & considerata ejus- dem electionis modus prorsus abolutus reman- serat, & pro illius libertate magis conveniens existimatum fuerat, ut Capitulum Generale praedictum in hunc modum convocaretur, vi- delicet.

Primo, quod praevia Vicarii Generalis in- timatione facienda Capitulum Generale huius- modi semper in Monasterio Montis Oliveti ma- joris convocari, ibique electio novi Abbatis Generalis intra terminum trium Mensium fieri debeat.

Secundo, ut in supradicto Capitulo Gene- rali Vicarius Generalis, Visitatores, Procu- rator Generalis actu existentes, Abbates, Exge- nerales, Vicarius Exgeneralis, & Visitatores antecedentis Diffinitorii, & unus Monachus in Discretum a familia ejusdem Montis Oliveti majoris, forma haecenus usitata eligendus vo- tum, sive suffragium ferant; Unde exceptis Abbatibus Exprovincialibus sexdecim in totum erunt Vocales.

lt. 28. Jan. 07. An. 7.

Variae muta- tiones factae super forma praed. electio- nis.

Ter-

Tertio, quod cum una Provincia uno ex duo- bus Visitatoribus destituta remaneat, Abbas antiquior in eadem Provincia, deficientibus vero praedictis duobus Visitatoribus, duo Ab- bates antiquiores in eorum locum respective succedant.

Quarto, quod Scrutatores, qui in hoc Capitulo Schedulas electionis Abbatis Generalis colligere, signare, & legere debeant, sint tres, qui ex numero novissimi Diffinitorii sorte ex- trahantur.

Quinto, quod pro expensis praedicti Capitu- li quaelibet Provincia memorato Monasterio Montis Oliveti majoris viginti scuta monetae Romanae solvere teneatur, necnon tam pro ex- pensis itineris, quam pro pecunia supradicto Monasterio subministranda, fiat repartitio pro rata super Monasteriis ejusdem Provinciae.

Decretum Congregatio- nis

§. 1. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attenta relatione Eminentissimi Card. Spinulae praedictae Congregatio- nis Olivetanae apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimo Gabriellio petita, confirmationem Oratori benigne concedendam censuit, prout praesentis Decreti vigore conce- dit: Constitutionibus Apostolicis, & Ordinibus, ceterisque contrariis non obstantibus. Romae 27. Novemb. 1705. = G. Card. Carpineus. = I. N. Grimaldus Secretar.

Procuratoris Gen.

§.2. Cum autem, sicut dictus Abbas Justinus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret. Nos speciale ipsi Abbati Justino Procuratori Gene- rali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententis, Censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innoda- tus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & ab- solutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis in- clinati, Decretum praesentium auctoritate Apo- stolica, tenore praesentium approbamus, & confir- mamus, illique inviolabilis Apostolicae firmi- tatis robor adjicimus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, ple- nissime suffragari, & ab eis respective inviola- biliter observari: sicque in praemissis per quoc- umque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit at- tentari.

§.4. Non obstantibus praemissis, ac Consti- tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec- non quatenus opus sit Congregationis Montis

Oliveti, & Monasteriorum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione, Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirm- tis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, & suffi- cienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Januar. MDCCVII. Pon- tificatus nostri anno Septimo.

XCVII.

Confirmatur Decretum Congregationis parti- cularis, quo declaratur, non esse locum peti- tae divisioni Congr. Presbyterorum Missio- nis, & servandas esse Constitutiones.

Dat. 2. April. 1707. An. 7.

Const. ed. 1703, Jul. 9, P. 3 concessum fuit quoddam Jus primo Assistenti. Et Const. ed. 1704, Sept. 9, P. 4 declarata fuisse Constitutiones. At Benedi- ctus XIII Const. ed. 1717, Jul. 15, P. 4, agitur de reiectione Assistentis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Eccl. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata ema- navit in Causa Romana, seu Galliarum praeten- sae divisionis inter dilectos filios modernum Su- periorum Generalem Congregationis Missionis ex una, & Presbyteros Saeculares Italiae ejusdem Congregationis Missionis ex altera partibus ven- tentis Decretum tenoris, qui sequitur, videli- cet: In Causa Romana, seu Galliarum praeten- sae divisionis inter D. Superiorem Generalem Congregationis Missionis ex una, & DD. Mis- sionarios Italiae partibus ex altera: Sac. Congre- gatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium Carpinei, Mare- scotti, Panciatici, Spade, & Casoni per San- ctissimum D. N. specialiter deputata, partibus ipsis informantibus, reque mature discussa, censuit, ac declaravit, non esse locum Divi- sioni, & servandas Constitutiones, & ad men- tem, quae quidem est, quod Superior Generalis utatur consilio, & opera assistentis Italiae in omnibus negotiis Congregationis, quemadmo- dum utitur consilio, & opera aliorum Assisten- tium, quodque illum admittat, & retineat una cum aliis in Domo suae Residentiae, & ceteros subditos amanter, & charitative tractet Romae 4. Octobris 1706. = G. Card. Carpineus = F. Ar- chiepiscopus Nicenus Secretar.

Decretum praed. quod fa- vet Assistenti Italiae.

§. 1. Cum autem sicut dictus Superior Gene- ralis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decre- tum huiusmodi, quo firmius subsistat, & ser- vetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret. Nos specialem ipsi Superiori Generali gratiam facere volentes

Procuratoris Super. Gen.



volentes, cumque a quibusvis excommunicatio- nis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Eccle- siasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa la- tis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore- censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decre- tum praesertim auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, il- lique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interve- nerint, supplemus.

Confirmatio  
relati Decreti

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore- suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tem- pore quoadcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis res- pective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Aposto- lici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Consti- tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec- non quatenus opus sit, dictae Congregationis Missionis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, il- lorum tenores praesentibus pro plene, & sufficien- ter expressis, & ad verbum insertis habentes, il- lis alias in suo robore permanentibus, ad praemisso- rum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis qui- buscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Aprilis MDCCVII. Pon- tificatus nostri Anno Septimo.

XCVIII.

Dat. 10. Maji  
1707. An. 7.

Conceditur Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum facultas celebrandi Missam una ante Auroram, & post meridiem hora.

Const. ed. 1710, Jan. 9, P. 10. conceditur approbatis confessariis iter agentibus facultas excipiendi con- fessiones absque facultate Ordinarii Loci.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicitude Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidemus, Nos admonet, ut Sacris ejusdem Ecclesiae Ministris pro gregis Domini salute laudabiliter laborantibus ea libenter concedamus, per quae eorum ministerium ad animarum salu- tem, & spiritualem fidelium consolationem, uberiori cum fructu benedicente Domini, valeant adimplere.

§. 1. Volentes itaque dilectis filiis Presbyte- ris Saeularibus Congregationis Piorum Opera- riorum nuncupatorum gratiam facere specia- lem, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poe- nis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa la- tis, si quibus quomodolibet innodata exi- stunt, ad effectum presentium dumtaxat con- sequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati eidem modernis, & pro tempore existentibus Presbyteris Congregationis praedictae ubique existentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus, tam in eorum, quam in aliis Ecclesiis Civitatum, Terrarum, & Locorum in quibus juxta laudabile eorum Institutum Sacras Mis- siones de Ordinariis respective locorum licentia exercebunt, per horum spatium ante Auroram, & post meridiem, Missas celebrare, libere, & licite possint, & valeant, auctori- tate Apostolica, tenore presentium concedimus, & indulgemus.

Concessio  
praed. facultatis  
Presbyte-  
ris supplemen-  
tibus facta

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac Consti- tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula est  
mandato de  
parce utendo  
praed. facultate.

§. 3. Volumus autem, ut Presbyteri praedicti hujusmodi Indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris Ministerio immo- letur Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui candor est lucis aeternae, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, utque ipsarum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Nota- rii publici subscriptis, & sigillo personae in Ec- clesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibite, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

XCIX.

\*

Declarantur nulla quamplura Edicta, aliaque gesta in Ditione Sabaudiae Ducis libertati, & Jurisdictioni Ecclesiasticae praedictae cum eorumdem damnatione, & Decretis de firmitate censurarum donec S. Sedis satisfactio exhibeatur.

Dat. 17. Maji  
1707. An. 7.

Inn. XI Const. ed. 1686, Feb. 26, P. 10 declarata fuit nulla alienatio Status Messerani facta Duci Sabaudiae. Et hujus Pontificis Const. ed. 1710, Oct. 27, P. 10 nullum edictum Ducis ejusdem super deputatione Judicii Justitiae, & Oeconomiae quorundam fructuum Ecclesiasticorum.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Lias cum ad fel. rec. Innocentii Papae XII. Praedecessoris nostri aures pervenisset, plura per Ministros dilecti filii nobilis Viri Victorii Amedei Sabaudiae Ducis, & Pedemontii Principis, ejusque Magistratus Laicos, videlicet Delegatos super conservatione, ac reunione

Exponitur se-  
ries plurimum  
atentatorum  
qua tempore  
Inn. XII. in  
praedictum  
libertatis Ec-  
clesiasticae ges-  
serunt Mini-  
stri Ducis Sa-  
baudiae.

regestri, & tarificatione contractuum nuncu- patos, necnon Senatus Niciensem, & Tauri- nensem gesta fuisse, & attentata Sedis Apo- stolicae auctoritati, & Ecclesiasticae Jurisdictioni, libertati, atque immunitati nedum contraria, sed illarum lesiva, ac prorsus destructiva, nec- non Generalibus Conciliis, & Sacris Canonibus, ac Romanorum Pontificum Praedecessorum no- strorum Constitutionibus penitus adversantia: Inter alia vero eidem Innocentio Praedecessori innotuisset, quod prius, nempe die 18. Septem- bris 1697. praefati Delegati super conservatio- ne, & reunione regestri, & tarificatione con- tractuum, edictum typis mandatum publica- verant, in quo inter cetera §. 6. continebatur praeceptum Syndicis, Consularibus, Secretariis, ac aliis regimini, & gubernio Civitatum, Ter- rarum, & locorum Ditionis ejusdem Victorii Amedei Ducis pro tempore propositis injun- ctum sub certis inibi expressis poenis, ne ali- quod beneplacitum, vulgo: Placet: de cetero amplius concederent, ad hoc, ut quisquam cle- ricalem statum assumeret, vel jam minoribus ordinibus initiatus ad Sacros Ordines promo- veri posset, minisque super quantitate patri- moniorum sacrorum conveniret, nisi prius Officialem, Patrimoniale Generale nuncu- patum, certiorum faceret de instantiis, quas sibi, & a quibus pro dicto beneplacito, seu Pla- cet obtinendo fieri contingeret, transmissa ei- dem informatione tam qualitatam, & capaci- tatis personarum, quam numeri Parochialium Ecclesiarum in Civitatibus, Terris, & Locis praedictis existentium, atque Ecclesiasticorum celebrantium, & ad Sacros Ordines promo- torum nondum celebrantium, aliorumque Cle- ricorum, qui in illis reperirentur, necnon nu- meri fratrum, & sororum, & quantitatis bo- norum Instantium, prout etiam, an parentes haberent, & an bona per illos possessa obnoxia- essent alicui hypothecae ad favorem Communi- tatum, seu Universitatum, Civitatum, Ter- rarum, & locorum hujusmodi, ad hoc, ut di- ctus Patrimonialis opportunam relationem ipsis Delegatis facere valeret, & ab ipsis decerne- retur, qui expedire conveniret circa ejusdem Beneplaciti, seu Placet concessionem, ac Pa- trimoniorum constitutionem, juxta Ecclesiae indigentiam, & Concilii Tridentini dispositio- nem; Idem Innocentius Praedecessor Venerabili Fratri Archiepiscopo Taurinensi mandavit, ut congruam moderationem, seu declaratio- nem praefati edicti in partibus Ecclesiasticae li- bertati, & Jurisdictioni praedictis obtinere satageret; Quod sane spatio viginti septem Mensium frustra fuit ab ipso omni studio tenta- tum, donec tandem die 17. Mensis Decem- bris 1699. renovata fuit ejusdem edicti publi- catio, addita declaratione, quod in Edicto prius publicato fuerant demandata praefatae diligentiae, ad hoc, ut Patrimonialis Generalis, supplendo negligentiam Officialium Communi- tatum, & Universitatum, posset securus earum statum Superioribus Ecclesiasticis repre- sentare, ut pro eorum prudentia, atque Justitia, praedictis, quod illis ex nimis aucto Ecclesiasticorum numero resultasset, remedium afferre posset, ipsum coercendo ad limites necessitatis, atque utilitatis Ecclesiarum, necnon patrimoniorum excessum ad formam Concilii

Edictum die  
18. Septem-  
bris 1697., quo  
cautum fuit,  
ne beneplaci-  
tum pro aliis  
mentibus sta-  
tum clericali-  
lem, vel pre-  
moverendi ad  
facros ordi-  
nes amplius  
concederetur,  
nisi certa for-  
ma servata.

Renovatio  
ejusdem Edi-  
cti facta die  
17. Decem-  
bris 1699. cum  
insufficienti  
declaratione.

Tridentini supradicti reducendo; Qua tamen declaratione insufficienti compta, postquam pro ea obtinenda, quae sufficiens fuisset, inutiliter trium mensium spatio renovata fuerant instantia, fuit tandem per Archiepiscopum praedictum die 20. Martii 1700. publicatum Edictum, quo nulla declarata fuerunt ea, quae per Delegatos praefatos prius edita, & promulgata fuerant in iis partibus, quas idem Archiepiscopus Ecclesiasticae libertati, & Jurisdictioni adversari, & eisdem lesionem inferre posse arbitratus fuit.

Edictum Arch-  
iepiscopi  
Taurinensis  
de declaratione  
inutilitatis u-  
triusque praed-  
ecessoris Edi-  
cti.

§. 1. Cumque pariter ad ejusdem Innocentii Praedecessoris notitiam devenisset, quod die 12. Julii 1699. in Civitate Hypporegensi fuerat auctoritate Laicali publicatum Edictum, quo Mi- nistris publicis praecipiebatur, ut cum omni celeritate, ac diligentia recognoscerent omnes personas Ecclesiasticas, Universitates, Corpora, atque Collegia non concurrentia solutioni annui oneris Tasso nuncupati, pro bonis in Catastro descriptis, & ab ipsis possessis, ac similiter pias Confraternitates eadem bona detinentes, pro quibus nedum a praedicti, sed etiam aliorum onerum solutione eximebantur, ejusmodi vero recognitionem, & informationem transmitterent Delegatis generalibus super reunionem, ac con- servationem regestri, procedendo interim ad se- questrum super fructibus bonorum in Catastro descriptorum, absque ulla personarum exceptio- ne, cum aliis etiam dispositionibus, quibus lesa remanere poterat Ecclesiastica libertas, & Ju- risdictio. Ac praeterea significatum fuisset Edicti praefati publicationem in aliis etiam Pedemontanae Ditionis Civitatibus factam fuisse, adeoque pro veriori rei habenda informatione scriptum fuisset omnibus illius Regionis Episcopis, ut super hoc referrent, & interim defensionem, at- que conservationem Ecclesiasticae libertatis incum- berent: Habita ex ipsorum responsis notitia, nedum dictae publicationis nonnullis in locis sequuta, sed quod varii, gravesque alii abusus in praedictum Ecclesiasticae Immunitatis, at- que Jurisdictionis alicubi irrepserant, ultra particu- lariorum remedia juxta casum exigentiam, praescripta, generaliter a Congregatione tunc existentium S. R. Eccl. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticae, & controversis Jurisdictionibus praeposita, demandata fuit praefatis Episcopis publicatio contrarii edicti, qua Ecclesiae jura- sarta, & testa servarentur, & novis, quae in dies excrefcere poterant, praedictis obviaretur, quod sane per nonnullos Pedemontanae ditionis Epi- scopos, prout in mandatis habuerant, peractum fuit. Verum ejusmodi contrariorum edictorum publicationem, scilicet tam illam ab Archiepi- scopo Torinensi factam contra Edictum, sicut praemittitur, emanatum a Delegatis super con- servatione, & reunionem regestri die 18. Septem- bris 1697., & renovatum die 17. Decem. 1699., quam aliam expresse demandatam a memorata Congregatione Cardinalium, & editam a tunc existente Episcopo Hypporegensi, ac a non- nullis aliis Episcopis contra aliud edictum, ut praefertur, publicatum in dicta Civitate Hyppo- regensi die 12. Mensis Jul. 1699. aggreferentes Delegati super conservatione, ac reunionem re- gestri ad instantiam Patrimonialis generalis die 12. Maji An. 1700. novum ediderunt edictum sive, ut ajunt, Rescriptum typis mandatum, & pu- blice

Edictum diei  
12. Julii 1699  
promulgatum  
in Civitate  
Hypporegensi,  
& aliis locis  
per recogni-  
tione perso-  
narum Eccle-  
siasticarum ad  
effectum solu-  
tionis annui  
oneris del  
Tasso facien-  
da per Laicos  
Ministros cui  
alios ordina-  
tionibus.

Edictum praed-  
cessoriarum  
per Episcopos  
auctoritate  
Congregatio-  
nis promulga-  
tum.



Edictum diei 12. Maji anno 1700. quo Mi- nistri ita de- clarantur e- dicta Archie- piscopi, alio- rumque Prae- fulum cum a- liis ordinatio- nibus.

blice affixum, in quo declarantur, esse non potuisse mentem ejusdem Archiepiscopi Edicta prius ab ipsis promulgata irritare, & quatenus voluisset, id prestare non potuisse; nullum propterea, invalidum, ac irritum ipsius Archiepiscopi edictum declarando, ac insuper precipiendo in omnibus, & per omnia suorum edictorum observantiam, non obstante illorum irritatione facta per dictum Archiepiscopum, illum monendo, ne illorum executionem in posterum turbaret, sub poena reductionis suorum bonorum temporalium, eodemque modo irritum declarant aliud edictum per aliquos ex Episcopis, sicut praemittitur, promulgatum, similiter declarando mentem eorumdem esse non potuisse contrario edicto ipsorum Jurisdictiones turbare, & quatenus voluissent, non potuisse id peragere, neque executionem eorum certorum, ac solvi consuetorum a possidentibus bona in catastro descripta, atque edictorum super hoc edictorum executionem impedire; Ac propterea attentae notorietate antiquae possessionis eadem onera exigendi, in ea conservandum esse Ducale Patrimonium, cum inhibitionibus opportunis, precipiendo insuper eorumdem laicalium edictorum omnimodam observantiam sub poenis quoad Laicos etiam corporalibus, & monendo Episcopos, ut abstinerent ab ulteriori perturbatione in concernentibus tam executionem Edictorum, quam onerum exactionem sub poena reductionis eorum bonorum temporalium. Non tulit profecto idem Innocentius Praedecessor inultam remanere tam gravem Ecclesiasticae libertatis, atque Jurisdictionis laesionem, sed approbando Decretum a praefata Congregatione Cardinalium hac in re editum die 8. Junii dicti anni 1700. ejusdem executionem Archiepiscopo Taurinensi, aliisque Episcopis injunxit: Tenor autem Decreti est, ut sequitur: Archiepiscopo Taurinensi, qui procedat, prout de Jure tam contra Delegatos, quam Patrimoniales, & Foraneum pro publicatione Edicti emanati sub die 12. Maji, necnon contra omnes, qui executionem eidem Decreto praestiterint; communicetur Episcopis ordo datus Archiepiscopo, & injungatur eidem, ut in casu publicationis praefati Edicti in eorum Dioecibus procedant, prout de Jure contra Affixores, & Publicatores, & quatenus de eisdem non possint constare, procedant in genere, declarando incurfos in censuras omnes, qui tale Edictum promulgaverint, vel eidem dederint executionem, & deinde procedant, prout de Jure contra omnes, qui praefato edicto in eorum Dioecibus dederint executionem. Cumque dictus Archiepiscopus, in executionem mandati sibi injuncti, affigi jussisset Monitorium contra ipsos Delegatos, & Patrimoniales generales, aliosque inibi expressos, & comprehensos, iidem assignando terminum quindecim dierum ad comparandum, & dicendum causam quare declarari non deberent incurfos in censuras, & poenas a Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus comminatas, propter publicationem praefati Edicti editi die 12. Maji ejusdem anni, nedum per Curiae laicalis Satellitum Praefectum, vulgo Baronellum, Monitorium praefatum cum notorio contemptu defixum fuit, sed non expectato lapsu termini in eo assignati per eisdem Delegatos ad instantiam ipsius Patrimonialis die 3. Augusti dicti anni 1709. editum, & successively die 5. ejusdem mensis publicatum fuit novum

Decretum S. Congregationis Immunitatis 1700. Jun. 8. editum, & approbatum ab Innocentio XII., quo mandatum fuit, ut supra dicti Praefati procedat contra Ministros prout de Jure.

Monitorium Archiepiscopi pro declaratione incurfus censuras, illius Edicti.

Edictum, in quo praevia declaratione assertae notoriae nullitatis, & injustitiae Monitorii supra dicti, eundem Archiepiscopum, cum manifesto auctoritatis excessu, monere ausi sunt, ut illud revocaret intra terminum duorum mensium, ac ab omni ulteriori processu abstinere sub poena reductionis suorum bonorum temporalium, aliisque (ut erronee assertum inibi fuit) de jure, atque usu permissis; inhibendo insuper omnibus in Monitorio comprehensis, ne coram quocumque Iudice Ecclesiastico in dicta causa, comparerent, sub poena mortis naturalis. Ac sub eadem data emanavit, atque typis mandatum, & publice affixum fuit simile Edictum Senatus Taurinensi. ad instantiam Procuratoris Generalis, declarans nullatenus per Edicta dictorum Delegatorum fuisse lesam libertatem, ac jurisdictionem Ecclesiasticam, quinimo evidenter laicalem per Archiepiscopum, & aliorum Episcoporum Edicta fuisse violatam; ac propterea, confirmans omnia per eosdem Delegatos, uti ad naturalem, & legitimam (quod non minus perperam praetensum fuit) defensionem gesta, monendo ipsum Archiepiscopum, ut pariter intra terminum duorum mensium revocaret, & a regestris suae Curiae aboleret, & expungeret praefatum Monitorium, uti nullum, atque injustum, omnesque actus illud concernentes, ac insuper nullam in eo comprehensis molestiam inferret, nec ulterius turbaret jurisdictionem laicalem sub eadem poena reductionis suorum bonorum temporalium, & respective quoad laicos in Monitorio comprehensos, qui coram Tribunali Ecclesiastico comparuissent, mortis naturalis.

§.2. Grave etiam accidit eidem Innocentio Praedecessori non minus Ecclesiasticae libertati, quam suae, & Sedis Apostolicae jurisdictioni inflatum vulnus per Senatum Niciensem, assumendo scilicet cognitionem causae ad instantiam Cajetani Albanelli provisae de Ecclesia Parochiali Loci Rocasteronis Glandeven, Dioecesis in Comitatu Niciensi, pro impedienda exactione fructuum inexactorum dictae Ecclesiae ad Camera Apostolicam mensae Episcopalis Glandeven, ac ulterius turbando Jurisdictionem Nunciaturae Apostolicae, ad quam juxta facultates eidem a Sede praedicta tributas ejusmodi cognitio privative spectabat, sicuti etiam ratione preventionis, intolerabili liquidem ausu, idem Senatus temere mittens manus in messam alienam, sub praetextu assertae notoriae nullitatis sententiae excommunicationis latae contra praefatum Cajetanum in Tribunali ejusdem Nunciaturae, ob recursum ab ipso factum ad Senatum in spretum jurisdictionis ipsius Nunciaturae, praevia admisione appellationis interpositae per Procuratorem Fiscalem mensae Episcopalis Glandeven, ac per Procuratorem Fiscalem Patrimoniale generalem, inhibuit ipsi Cajetano, ne coram alio Iudice, praeter Senatum, compareret, sub poena reductionis bonorum, praecipitque Syndicis Universitatis dicti loci, & cuicumque Personae, ne auderent eundem impedire in libero exercitio Parochialis officii, quamvis a Tribunali Nunciaturae fuisset, ut praefertur, nominatim excommunicatus, ob idque ex Ecclesiasticae praerogative vitandus, & a divinatorum nedum admi-

Edictum Ministrorum, & alius Senatus Taurinensis contra Archiepiscopum pro revocatione Monitorii, aliisque provisionibus.

Abusus potestatis laicalis commissus a Senatu Niciensi in cognitione causae exactionis fructuum Ecclesiae Parochialis Rocasteronis vaticiniae ad Cam. Apostolicam mensae Episcopalis cum actus subsecuti.

Declaratio Archiepiscopi Ebreduensis super asserta in competenti Juris spoliatorum favore. Cam. Apostolica in Dioecesi Glandeven. cum aliis ordinationibus.

Cassatio praenuntiata facta per Nuncium Niciensem, & Prolegatum Avenionensem cum attentatis hinc inde ex parte Secularis Potestatis.

Edictum Senatus Niciensis promulgatum die 26. Novembris 1697, quo Subditus temporalis Dioecesis Niciensis prohibentur non obstantes assertae privilegii comparere in Curia Episcopali Venetiarum cu

raini stratione, sed etiam participatione suspensus, atque submotus. Ac insuper idem Senatus contra Procuratorem Camerae Apostolicae, licet notorie exemptum, procedere ausus fuit, ipsum citando ad comparandum cum subsequente reductione bonorum tam Josephi Aude Advocati Camerae praedicti, quam Canonici cognominati Torrini tunc Subcollectoris Apostolici, in odium actuum ab ipsis gestorum, ut proprio muneri satisfacerent. Dum vero opportuna reparationi per tunc existentem Episcopum Niciensem, in executionem Decreti memoratae Congregationis Cardinalium opera dabatur, nova emerit attentati species; Nam Ven. Frater Archiepiscopus Ebreduensis, tanquam Metropolitanus ex abrupto, nullaque judiciaria forma servata, sibi quae omnino incompetentem auctoritatem cognoscendi de Juribus S. Sedis, & de gestis per illum Nuncium, absque dubio Superiorem suum, assumendo, & quod magis intolerabile est, sese supra ipsum extollendo, ad petitionem praefati Cajetani, licet ante rejectam, & ad quos de jure a tunc existente Episcopo Glandeveni suo Ordinario, apud quem ille prius insteterat, remissam temere declaravit nunquam in Dioecesi Glandeven, spoliatorum Jus usu fuisse receptum, eidem Cajetano, aliisque omnibus Ecclesiasticis suae Metropolitanae jurisdictioni subiectis, propterea inhibendo, ne dictum Jus spoliatorum directe, vel indirecte unquam recognoscerent, praeterea nullam esse pronuntiavit sententiam excommunicationis contra dictum Cajetanum latam a Tribunali Nunciaturae, absolutionem eidem ad cautelam tribuendo, licitumque in dicta Provincia recursum ad Senatum in materia spoliatorum, uti semper usitatum, asseruit. Cujus sane ordinationis, tanquam notoria nullitate ob defectum jurisdictionis in materia, de qua agebatur, infecta, nec minus Ecclesiasticae immunitati adversantis, quam jurium hujus Sanctae Sedis manifeste laeva demandata fuit cassatio, revocatio, & annullatio tunc existentibus tam Nuncio Taurinensi, quam Prolegato Avenionensi, prout ambo illam cum omnibus inde secutis cassarunt, revocarunt, & annullarunt; Sed cum dictus Prolegatus affigi jussisset valvis Ecclesiae dicti Loci Rocasteronis declarationem desuper ab eo editam, fuit carceribus mancipatus Cursor ad id peragendum transmissus, & in illis plurimum mensium spatio detentus, quousque fuga sibi consuluit. Similiter nec potuit praedictus Episcopus Niciensis exequi mandata dictae Congregationis Cardinalium procedendi, prout de jure, contra Senatum, non repertis ob illius perhorrescentiam Ministris, vel Officialibus, qui eidem parere voluerint, ut ipse eidem Congregationi rescripsit.

§.3. Nec minus temerarium extitit, quod ab eodem Niciensi Senatu attentatum fuit occasione praetensionis, quod Subditus ditioni temporalis Comitatus Niciensis, Ventimilien. Dioecesis, vigore assertorum privilegiorum, trahi non possent extra temporale dominium ejusdem Comitatus pro cognitione causarum in prima instantia coram Episcopo peragenda. Ad hanc liquidem praetensionem conservandam, immemor idem Senatus, quod non licet laicali potestati in concernentia causarum spiritualium cognitionem sese ingerere, ac multo minus Ju-

dici Ecclesiastico circa propriae Jurisdictionis exercitium legem imponere, loco recurrendi, ut alias peractum fuerat, ad Sedem Apostolicam praedictam, ad quam unice eorumdem assertorum privilegiorum declaratio spectabat, publico Edicto die 26. Novembris 1697. edito, vetuit omnibus Subditis, ne pro ulla causa comparerent in Tribunali Episcopi Ventimilien. sub poena privationis gratiae Principis, eundemque Episcopum monuit, ut intra terminum viginti dierum deputaret Vicarium in parte sua Dioecesis subdita in temporalibus ditioni Niciensi, cum facultate decidendi omnes causas, tam contentiosas, quam gratiosas, sub poena reductionis Bonorum a Mensa Episcopali possessorum, quorum fructione deinde dictus Episcopus ob non factam petitam deputationem fuit per abusum potestatis laicalis violenter privatus: Praeterea eodem anno 1697. idem Senatus Niciensis mandavit tunc existentem Vicario Foraneo Loci Sospellii, ut cognosceret omnes causas, & illas, pro quibus ei defecisset auctoritas, concessis testimonialibus, ad tunc pariter existentem Nuncium Taurinensem remitteret; Quo circa d. Episcopus, postquam spatio trium annorum, plures, & sane ferventissimas instantias, quamvis inutiliter, fecerat pro reintegratione sua Mensae, sui tandem muneris partes esse censuit, parendo etiam mandatis memoratae Congregationis Cardinalium, quosdam Ministros laicos censuris innodatos declarare; ipse vero Senatus Niciensis in eam prorupit audaciam, ut ad arcam Domini non quidem erigendam, sustinendamque, quod adhuc severa, ingentisque adeo ultione fuisse a Deo punitum in sacris paginis legimus, sed ad illam deturbandam, prosternendamque sacrilegas manus extollere non erubuerit, ac inaudito forsitan haecenus ausu, sanctissima Ecclesiae instituta, atque praerogativa intervertere tentaverit; Cum enim non minus provide, quam salubriter Ecclesia jubeat Excommunicatos, velut igne, & aqua interdictionis, & tanquam putrida membra Canonicae severitatis mucrone abscissa, ne totum corpus inficiant, ab omnibus Christianidelibus esse vitandos, ipse Senatus publico, typisque tradito Edicto laicali jurisdictioni Subditis, mortis naturalis poena contravenientibus imposita, praecipit, ut cum illis commercium haberent; Ac cum pariter Ecclesiae praerogative statutum sit, ut censuris irretiti a communione Fidelium, ac divinatorum participatione arceantur, peculiari etiam imposita poena iis, qui illos ad spirituale confortium admitterent, Senatus iidem praefatus, quem hac in re obsequendi potius manebat necessitas, quam auctoritas imperandi, solemniter edixit, atque omnes Ecclesiasticos monuit, ut eosdem Excommunicatos ad communionem in divinis reciperent, & Sacramentorum participes redderent, cum comminatione gravium poenarum in casu contraventionis. Licet autem Edictum hujusmodi in hac dumtaxat posteriori parte, seu clausula Ecclesiasticos, ut praefertur, tangente, ex speciali jussu supra dicti Victorii Amedei Ducis revocatum fuerit, nihilominus cum in aliis omnibus ejus partibus expresse praeservatum, adeoque confirmatum fuerit, nova potius per insufficiens, ac imperfectam ejusmodi revocationem Ecclesiae laesio illata fuit, quam prior reparata.

aliis attentatis subsecuti.

Declaratio incurfus censuras facta per Episcopum Ventimilien. contra quosdam Ministros laicos.

Alterum Edictum Senatus Niciensis, quo mandatum fuit, ut omnes cum Excommunicatis conversarentur, & Ecclesiastici eos in divinis admitterent.



Zelus sa. meo Clementi XI pro emendatione supradictorum abusum.

§.4. Hac sane omnia, qua dum in humanis ageret memoratus Innocentius Prædecessor, contigerunt, ac Nobis, qui dum Cardinalatus honore fungebamur, Congregationibus, in quibus de rebus hinc actum fuit, pluries interfuimus, apprime innotuerant, una cum aliis præsentium temporum facile prævisis calamitatibus, mentis nostræ oculis obversata esse ceperunt, ut Nos ad Supremi Apostolatus apicem, non minus inviti, quam immerentes vocati, tota animi contentione gravissimum hoc onus subire detrectaverimus; Verum quia obsequi tandem debuimus divinæ vocis imperio, primas profecto pastoralis sollicitudinis nostræ partes esse diximus lapidem omnem movere, ut Ecclesiasticæ libertatis Violatores ad cor redirent, & recogitantes flagella, quibus divina ultio ejusmodi criminum reos percutere consuevit, debitam Ecclesiæ satisfactionem exhiberent; Dum hæc tamen, omnibus adhibitis Apostolicæ longanimitatis, & paternæ benevolentie mediis agebamus, non sine maximo animi nostri moerore accepimus, a præfato Senatu Niciensi, mala malis accumulando, per suum Decretum die 19. Januarii 1701. editum, admittam fuisse appellationem pro parte Procuratoris Fiscalis generalis Ducalis interpositam a Decretis Curie Legationis Avenionen., & Tribunalis Nunciature Taurinensis super circumscriptione, & cassatione sententiæ irregularis, ac totaliter incompetentis late per Curiam Archiepiscopalem Ebreundensem die 7. Maji 1700. in causa superius relata dicti Cajetani Albanelli; Quo sane Decreto typis impresso dictus Senatus eo temeritatis processit, ut declarationes tam Legationis, quam Nunciature præfatarum, tanquam nullas, & ab usivas pronunciare, atque damnare non erubuerit. Novis hinc injuriis læssiti patienter adhuc sustinimus. Quinimo cum post elapsos quamplures terminos a Nobis assignatos ad præstandas necessarias, & frustra diu expectatas reparaciones, Nobis exhibita fuisset instantia pro parte tunc existentis pro eodem Victorio Amedeo Duce apud Nos, & Sedem prædictam Residentis, ut aliquem ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deputaremus, cum quo de his rebus agere posset, quamvis omnia jam diu in dicta Congregatione Cardinalium mature discussa, & Nobis quoque plerumque intervenientibus, & suffragantibus, supra relatæ resolutiones capte, & partim etiam executioni demandatæ fuissent, eodem Innocentio Prædecessore, ne dum approbante, sed jubente: Adhuc tamen, ut vere possemus dicere, quid ultra potui facere, & non feci? Dilecto filio nostro Sperello Tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam ejusdem S.R.E. Presbytero Cardinali Sperello nuncupato commisimus, ut ea, quæ per dictum Residentem, ejusque Defensores deducerentur, audiret, & Nobis referret. Verum post aliquos inter eosdem Sperellum Cardinalem, & Residentem hac in re habitos congressus contigit, ut dictus Residentis re infecta ab hac Urbe discesserit. Nova interim in dies in præfati Victorii Amedei Ducis ditionibus Ecclesiæ vulnera infligi acerbiore semper doloris sensu intelleximus; Orta scilicet jam pridem, nempe anno 1698. controversia inter Mensam, & Curiam Episcopalem Augustanæ Provincie Tharantascen. ex una, ac Canonicos Regulares Sancti Aegidii Loci de

Decretum supradicti Senatus diei 19. Januarii 1701 pro admittione appellationis a Decretis Prolegati Avenion., & Nuncii Taurin.

Commissio data Card. Sperello, ut in præmissis ageret cum Ministro Ducis Sabaudie.

Appellatio interposita per Procuratorem Fiscalem Curie Episcopalis Augustanæ a Decretis Tribunalis Nun-

Verresio ex altera partibus, super Jure conferendi nonnullas Parochiales Ecclesias, introductoque Judicio in Tribunali Nunciature supradictæ, utraque Parte consentiente, ac jura sua in eodem deducente, secuta vacatione duarum ex dictis Ecclesiis, Procurator Fiscalis dictæ Curie Episcopalis Augustanæ causam deferre studuit ad Sabaudie Senatam, eidem exponendo, quod licet Episcopus reperiretur in possessione dictas Ecclesias conferendi, fuerint tamen eidem per præfatos Canonicos Regulares illate molestiæ, cum præsentatione citationis cum inhibitione, ejusque executione, & quia per Tribunal Nunciature dictis Canonicis Regularibus decreta fuerat manentio, dictus Promotor Fiscalis ad eundem Senatam appellaverat, a quo citationem nedum contra ipsos, sed etiam contra Judicem Ecclesiasticum obtinuit; Ac tandem comparere coactis iisdem Canonicis Regularibus coram dicto Senatu, prodit Sententia, per quam revocata fuit præcedens, tanquam ( ut male prætensum fuit ) nulliter, & abusive per Tribunal Nunciature lata, simulque omnibus Ecclesiasticis, & aliis prohibitis fuit sub poena nullitatis, ac scutorum mille auri, aliusque, ne ad dictum Tribunal causas deferrent; Et hæc quidem sententia in Civitate Augustanæ ad sonum tubæ publicata fuit die 10. Maji anni 1701. Gravia profecto fuerunt hæc, & mucrone Canonice severitatis resuscanda: Unde contra ea clamare non cessavimus, ita Domino Nos per Prophetam admonente, ac Apostolice maneris debito exigente, ne veluti canes muti non valentes latrare, ac lupos gregem Dominicum devastantes arcere negligentes corripuerimus, & spiritalis interitus ovium Nobis a Domino commissarum rei evaderemus. Verum præfati Senatus, alicque laice Jurisdictionis Ministri, atque Officiales, veluti aspides furdi, & aures suas obturantes, ne vocem venefici incantantis sapienter audirent, adhuc in sua malitia perseverantes, & obdurati, nec paternis exhortationibus nostris, nec minis flecti poterunt, ut animarum suarum saluti consulerent, & Ecclesiæ, quam tories, & tam graviter læserant, satisfacerent: Quin potius hæc inter novum aliud Ecclesiasticæ libertati, & Sedis Apostolicæ auctoritati vulnus inflictum fuit, dum ex abrupto, quacumque ejusdem Sedis reverentia postposita, Dilectus Filius Alexander Codebò jampridem Auditor Nunciature præfate, tuncque illum in Civitate Taurinensi nomine nostro administrans, ab omnibus ipsius Victorii Amedei Ducis eo tempore a dicta Civitate absentis, dominus, in manifestum tam Clericalis Ordinis, quam Muneris, quod de mandato nostro exercebat, contemptum dimissus fuit, assignato eidem brevi duorum dierum termino pro discessu a Civitate præfata, & quatuor ab universa dicti Victorii Amedei Ducis ditione, ne quidem illi permiffa facultate nos de hoc sibi injuncto discedendi præcepto per Curforem citatis equis transmittendum certiores reddendi, nostrumque desuper responsum expectandi, itant in locum Tilliolarum nuncupatum, huic Sanctæ Sedi etiam in temporalibus subiectum se recipere coactus fuerit.

§.5. His omnibus matura deliberatione perpensis, & implorato prius divino præsidio, die 7. Februarii 1702. super præmissis omnibus dictæ Congre-

ciatura ad Senatam Sabaudie in causa Mensæ Episcopalis, & quosdam Regulares.

Sententia dicti Senatus 1701, Maji 10 revocatoria Judicium Nunciature cum prohibitione amplius deferendi causam ad dictum Tribunal.

Dimissio Auditoris Nunciature e Civitate Taurini, & Ducis dominus.

Diligentia adhibita, ut præfati Senatus, & Ministri Laici Ec-

clesia satisfecerunt: & Breve a sancto Clemente XI. Duci Sabaudie descriptum pro consequenda emendatione præfatorum, quod tamen effectum non habuit.

Congregationis Cardinalium, qui rem totam diligenter, ac mature coram Nobis discussissent, vota exquisivimus, iisque auditis, novum aliud paternæ nostræ longanimitatis experimentum, facere decrevimus, ac proinde nostras in forma Brevis expeditas literas supradicto Victorio Amedeo Duci conscripsimus, in quibus acerbissimum cordis nostri dolorem ob ea, quæ ab illius Magistratibus adversus Ecclesiasticam libertatem, Dei ordinatione, & canonicis functionibus constitutam, debitamque huic Sanctæ Sedi observantiam attentata fuerunt, fusc explicavimus, eumque propterea admonuimus, rogavimus, atque obsecravimus, ut per egregiam, & ad magna quæque, ac præclarâ propensam, quam sortitus fuerat, animi indolem, per uberem, erga ipsum, ejusque Domum divinæ beneficentiæ fontem, per veterem denique, & constantem nostram in ipsum voluntatem, auferret tandem malum de domo Israel, omnique mora postposita, quæ injuste acta fuerant, celeri, & magnanima retractione revocaret, Ecclesiæ pristinam dignitatem, & læta Jura restitueret, Nosque ipsos a tam gravi, qua angebamur, sollicitudine liberaret. Neque enim alias tot, tantaque mala, quibus Ecclesiæ auctoritas lædebat, sacrorum Canonum norma contemnebatur, & ipsa Beati Petri Sedes injuria afficiebatur, traditaque a Domino claves impetebantur, diutius, absque animæ nostræ periculo, divinæque indignationis incursum dissimulare valebamus. Porro has ipsas literas tunc in humanis agentibus bo. me. Carolo, dum vixit, S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato, quem eidem Victorio Amedeo Duci ob præclaras, & nunquam satis laudatas ejus animi dotes summopere acceptum esse noveramus, consignavimus, ut illas ipsi Victorio Amedeo Duci, quam celerius fieri poterat, transmitti, simulque rem totam ad ipsum sincere deferri curaret, non dubitantes, quin ea diligenter perspecta, ex ipsa, qua præstat, animi magnitudine omnia perperam gesta protinus emendaret; Verum non modo concepta, hac spe frustrari Nos vidimus, sed alia, & quidem non minus gravia præfata Sedis jurisdictioni, & libertati Ecclesiasticæ in illis partibus præjudicia in dies inferri percepimus.

§.6. Etenim die tertia Maji 1702. nomine ipsius Victorii Amedei Ducis publicatum fuit Edictum in executionem, ac interpretationem, sive ampliationem, ut in eo assercbatur, alterius Edicti ab ejus Tritavo lati anno 1563. , cujus tamen longæva adeo inobservantia satis illud viribus carere monstraverat; in quo quidem nupero Edicto plura continebantur circa successiones Personarum, & Communitatum Regularium, & circa dotes Monialium, Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpationem manifeste præferentia, ejusdemque libertatis summopere læsiva, declarando scilicet omnes Religiosos utriusque sexus cujusvis Ordinis in Regionibus ultramontanis ipsius Victorii Amedei Ducis temporalis dominio subiectis degentes, etiam Societatis Jesu, atque Ordinis Militaris S. Joannis Hierosolymitani, post emissam professionem sive expressam, sive tacitam, per vota solemnia, vel simplicia, civiliter mortuos, & incapaces testandi, ac de propriis bonis disponendi, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, ac generaliter quoque incapaces omnium effectuum, ac actuum

civilium, & ulla recipiendi, aut colligendi successiones, tam præteritas, quam futuras, sive ex testamento, sive ab intestato, eadem propterea deferendo proximioribus Consanguineis Jure ordinario successivo, quodque per professionem votorum solemnium, vel simplicium, expressam, aut tacitam, puritate censerentur omnes substitutiones, perinde ac si Religiosi præfati naturaliter defuncti fuissent, relicta solum ipsis facultate recipiendi annuam pensionem, vitalitiam convenientem, titulo sumptus, & alimentorum, sicut Senatus æquum judicasset; Ac insuper earundem successio num incapaces declarando dictum Ordinem, & Religionem Sancti Joannis Hierosolymitani, & omnes alios Ordines, & Religiosas Communitates, Societates, Conventus Ecclesiasticos, Regulares, & Sæculares, & Militares, sicut etiam Collegia Cathedralium, Collegiarum, & alias omnes Societates Ecclesiasticas, Regulares, & Sæculares per dispositiones titulo universali, per testamentum, codicillos, aut donationem causa mortis, & etiam per donationem inter vivos, & titulo particularis legati, præter unam sextam partem suppellectilium dictorum Donantium, aut Testatorum, etiam ex causa ingressus in dictas Religiones, Monasteria, Societates, & Conventus, exceptis Hospitalibus, & Ordine Militari Sanctorum Mauriti, & Lazari. Præterea in eodem Edicto additum fuit, quod Religiosi utriusque sexus, qui per sex annos habitum regularem cujuscumque Ordinis detulissent, numerando sexennium a die suscepti habitus regularis hujusmodi quoad eos, qui illum post expletum decimum sextum suæ ætatis annum susceperunt: quoad alios vero qui illum ante dictam ætatem susceperunt, a fine dicti decimi sexti anni, etiam si nullum fecissent votum, vel tantum vota simplicia, censerentur mortui civiliter, & privati omni jure civili, tam pro casibus præteritis, quam futuris, ipsos quoque privatos declarando facultate possidendi propria sua bona, quovis tandem prætextu deposuissent, vel deponebant habitum regularem in futurum, quibus tamen adjudicari posset a Senatu aliqua provisio alimentaris de bonis Parentum, vel Religionis, a qua egressi fuissent, prout dictus Senatus æquum judicasset, facultatem reclamandi ad sexennium, ut supra, computandum, citatis interesse habentibus, restringendo: ita quod, non obtenta ultimis duobus annis declaratione nullitatis, reclamaciones amplius non attendentur; Circa vero receptiones Religiosorum, utriusque pariter sexus, in eodem edicto dispositum, & declaratum fuit, quod Domus, Conventus, Societates, aut Monasteria, cum reciperent aliquos Religiosos, nihil possent acceptare quovis prætextu sumptuum, ingressus in Religionem, novitatus, suppellectilium, vestium, fundationum, & aliorum, nisi mille florenos illarum partium, liberum tamen esset dictis Religiosis sibi reservare ex eorum bonis pensionem quinquaginta florenorum, ratione studiorum tantum; & hoc per decennium a die professionis; Et quoad Religiosas, & Moniales, Monasteria, in qua ingressæ fuissent, acceptare nihil possent quovis prætextu sumptuum, ingressus in Religionem, novitatus, dotis, suppellectilium, vestium, fundationum, aut aliorum, nisi summa pro qualitate locorum in præfato

Edictum supradicti Ducis publicatum die 3. Maji anni 1702. super executione, ac interpretatione alterius Jari an. 1563. Ecclesiasticæ libertatis læsivi cu certis provisionibus.